

## CANONES ALII S. PATRICIO ASCRIPTI.

### I.

*De iudicio clericorum, ut non sit apud iniquos, aut apud infideles.*

Omnis mundialis sapiens, <sup>a</sup> si sapiens sit, non iudicat iudicia Ecclesiae.

### II.

*De subiectione populi principi.*

Ministri vos estis, et unusquisque vestrum principem suum cui assistat et ministrat, timeat.

### III.

*De poenitentia blasphemantis principem bonum.*

Qui murmurat verba blasphemiae contra principem bonum per odium aut invidiam, cum pane et aqua poeniteat septem diebus, exemplo Mariae contra Moysen murmurantis.

### IV.

*De eo quod incertum sit, utrum priorem gradum episcopus post lapsum recipiat.*

Patricius episcopus dicit: Qui sub gradu peccat, debet excommunicari, quia magna est dignitas hujus nominis; tamen potest redimere animam suam post poenitentiam: ad priorem gradum venire difficile. Nescio an non. Deus scit.

### V.

*De recipienda adultera post poenitentiam, et de quantitate poenitentiae.*

Si alicujus uxor fornicata fuerit cum alio viro, non adducet aliam uxorem, quandiu viva fuerit uxor prima. Si forte conversa fuerit et agat poenitentiam, **C**

<sup>a</sup> Forte etsi. WAR.

**A** suscipiet eam, et serviet ei in vicem ancillae, et annum integrum in pane et aqua per mensuram poeniteat, nec in uno lecto permaneat.

### VI.

*De alienis adveniens ad iudicandum.*

Si quae quaestiones in hac insula oriantur, ad sedem apostolicam referantur.

### VII.

*De poenitentia agenda in ultimo spiritu.*

Si quis infirmatur, agat poenitentiam, etiam ex necessitate, quia misericors est Deus.

### VIII.

*De eo quod insipientes praesae non debent.*

Synodus totius mundi, et Patricius decrevit: Qui insipiens est, nullo modo praesae liceat, sed sub **B** manu abbatis catholici opus suum exerceat.

### IX.

*De collectura pecuniae non vituperanda, necessitate cogente.*

Patricius ait: Si quis acceperit permissionem pontificis, et collectum sit pretium captivi, non plus exegerit quam necessitas poposcit. Si quid supra remanserit, ponat super altare, et indigentibus detur et captivis.

Item si quis colligit pecuniam sub nomine misericordiae, non audeat spoliare Ecclesiam Dei, sed reges et plebiles, quibus melius est dare quam condere.

## SYNODUS EPISCOPORUM PATRICII, AUXILII ISSERNINI.

Gratias agimus Deo Patri et Filio et Spiritui sancto. presbyteris et diaconibus et omni clero, Patricius, Auxilius et Isserninus episcopi, salutem.

Satius nobis negligentes praemonere (quam) cupere quae facta sunt, Salomone dicente: *Melius est arguere quam irasci* (Eccli. xx, 1). Exempla definitionis nostrae inferius conscripta sunt, et sic inchoant.

I. Si quis in quaestionem captivis quaesierit in plebe, suo jure, sine permissione, meruit excommunicari.

II. Lectores denique cognoscant unusquisque ecclesiam in qua psallat.

III. Clericus vagus non sit in plebe.

IV. Si quis permissionem acceperit, et collectum sit pretium, non plus exigat quam quod necessitas poposcit.

V. Si quid supra manserit, ponat super altare pontificis, ut detur alii indigenti.

VI. Quicumque clericus ab ostiario usque ad sa-

cerdotem sine tunica visus fuerit, aut turpitudinem ventris et nuditatem non tegat; et si non more Romano capilli ejus tonsi sint, et uxor ejus si non velato capite ambulaverit, pariter a laicis contemnentur, et ab Ecclesia separentur.

VII. Quicumque clericus jussus negligentiae causa ad collectas mane vel vespere non occurrerit, alienus habeatur, nisi forte iugo servitutis sit detentus.

VIII. Clericus si pro gentili homine fideijussor fuerit in quacunque quantitate, et si contigerit (quod mirum non <sup>a</sup> potest) per astutiam aliquam, gentilis ille clerico fallat rebus suis, clericus ille solvat debitum: nam si armis compugnaverit cum illo, merito extra Ecclesiam computetur.

IX. Monachus et virgo, unus ab hinc, et alia ab aliunde, in uno hospicio non commaneant, nec in uno curru a villa in villam discurrant, nec assidue invicem confabulationem exercent.

<sup>a</sup> Leg. Est. Sic lib. Cotton.

X. Si inceptum boni operis ostenderit in psalendo, et comam habeat, ab Ecclesia excludendus, nisi statui priori se restituerit.

XI. Quicumque clericus ab aliquo excommunicatus fuerit et alius eum susceperit, ambo coæquali pœnitentia utantur.

XII. Quicumque Christianus excommunicatus fuerit, nec ejus eleemosyna recipiatur.

XIII. Eleemosynam a gentibus offerendam in ecclesiam recipi non licet.

XIV. Christianus qui occiderit, aut fornicationem fecerit, aut more gentilium ad <sup>a</sup> aruspicum meaverit; per singula crimina annum pœnitentiæ agat: impleto, cum testibus veniat anno pœnitentiæ, et postea resolvetur a sacerdote.

XV. Et qui furtum fecerit, dimidium pœniteat, viginti diebus cum pane; et si fieri potest, rapta representet: sic in Ecclesiam reuertur.

XVI. Christianus qui crediderit esse <sup>b</sup> Lamiam in speculo, quæ interpretatur *Striga*, anathematizandus, quicumque super animam, famam istam imposuerit; nec ante in Ecclesiam recipiendus quam ut idem criminis quod fecit, sua iterum voce revocet: et sic pœnitentiam cum omni diligentia agat.

XVII. Virgo quæ voverit Deo permanet casta, et postea nupsit carnalem sponsum, excommunicationis sit donec convertatur. Si conversa fuerit, et dimiserit adulterium, pœnitentiam agat, et postea non in una domo nec in una villa habitent.

XVIII. Si quis excommunicationis fuerit, nec nocte pascharum in ecclesiam (non) introeat, donec pœnitentiam recipiat.

XIX. Mulier Christiana quæ acceperit virum honestis nuptiis, et postmodum discesserit a primo, et junxerit se adulterio, quæ hæc fecit, excommunicationis sit.

XX. Christianus qui fraudat debitum cujuslibet ritu gentilium, excommunicationis sit donec solvat debitum.

XXI. Christianus cui dereliquerit aliquis, et provocat eum in <sup>c</sup> ductum et non in ecclesiam, ut tibi examinetur causa, qui sic fecerit alienus sit.

XXII. Si quis tradiderit filiam suam viro honestis nuptiis, et amaverit alium et consentit filix suæ, et acceperit dotem, ambo ab Ecclesia excludantur.

XXIII. Si quis presbyterorum ecclesiam ædificaverit, non offerat antequam adducat suum pontificem, ut eam consecret, quia sic decet.

XXIV. Si quis advena ingressus fuerit plebem,

A non ante baptizet neque offerat, nec consecret, nec ecclesiam ædificet, <sup>d</sup> nec permissionem accipiat ab episcopo; nam qui a gentibus sperat permissionem, alienus sit.

XXV. Si quæ a religiosis hominibus donata fuerint, diebus illis quibus pontifex in singulis habitaverit ecclesiis, pontificalia dona, sicut mos antiquus, ordinare, ad episcopum pertinebant, sive ad usum necessarium, sive egentibus distribuendum, prout ipse episcopus moderabit.

XXVI. Si quis vero clericus contravenerit, et dona invadere fuerit deprehensus, ut turpis lucri cupidus ab Ecclesia sequestretur.

XXVII. Clericus episcopi in plebe quislibet novus ingressor, baptizare et offerre illum non licet, nec aliquid agere: qui si sic non faciat, excommunicationis sit.

XXVIII. Si quis clericorum excommunicationis fuerit solus, non in eadem domo cum aliis orationem faciat; nec offerre nec <sup>e</sup> conservare licet, donec se faciat emendatum; qui si sic non fecerit, dupliciter vindicetur.

XXIX. Si quis fratrum accipere gratiam Dei voluerit, non ante baptizetur quam quadragesimum agat.

XXX. Episcopus quislibet qui de sua in alteram progreditur parochiam, nec ordinare præsumat, nisi permissionem acceperit ab eo qui in suo principatu est; die dominica offerat tantum susceptione, et obsequi hic contentus sit.

XXXI. Si quis conduxerit e duobus clericis quos discordare convenit per discordiam aliquam, prolatum uni e duobus hostem ad interficiendum homicidam congruum est nominari; qui clericus ab omnibus rectis habetur alienus.

XXXII. Si quis clericorum voluerit juvare captivo, cum suo pretio illi subveniat: nam si per furtum illum involaverit, blasphemantur multi clerici per unum latronem; qui sic fecerit, excommunicationis sit.

XXXIII. Clericus qui de Britannis ad nos venit sine epistola, etsi habitet in plebe, non licitum ministrare.

XXXIV. Diaconus nobiscum similiter, qui inconsulto suo abbate, sine litteris in aliam parochiam <sup>f</sup> assentiat, nec cibum ministrare decet: et a suo presbytero quem contempsit, per pœnitentiam vindicetur: et monachus inconsulto abbate vagulus debet vindicari.

*Finiunt synodi instituta.*

<sup>a</sup> Qui harugagarum, id est, hostiarum exta inspectat, ad futurorum eventum inde cognoscendum. Vid. *Hud. Jun. Nomenclator. WAR.*

<sup>b</sup> Festo accipitur pro malefica muliere, quæ et *Volatica* et *strix* antiquitus dicebatur. Id.

<sup>c</sup> Forte *judicium*. Id.

<sup>d</sup> Leg. *donec*. Id.

<sup>e</sup> An *conversare*, seu potius *conversari*?

<sup>f</sup> Leg. *absentat*. WAR.